Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2775
Quelle:
Copyright:

palam facit Numerus miniatus XXIX. *folio* nunc *primo* inſcriptus.

II. *fol.* 2. *Incipit Summa theologice ueritatis.* Hic Titulus eſt Elenchi Capitum Libri I. Sed Prologus rectius hac Epigraphe utitur: *Prologus in compendium theologice ueritatis*; hoc enim vocabulo notior eſt hic Tractatus *Hugonis de Argentina* O. P. non *Thomae de Aquino*, ut etiam hic manus Sec. XV. perperam adnotavit. Initium ejus eſt: *Ueritatis theologice ſublimitas cum ſuperni ſit ſplendoris radius* &c. ut jam ad *Codd.* CCCXX. aliosque dictum. In praeſenti perturbationem quandam cauſat *Liber* II. manu Sec. XV. inſertus, cui tamen adjectae in marginibus Scribarum cautelae medentur.

III. *fol.* 95. *Sermones* breves de praecipuis Domini et SS. Feſtis per annum, quorum primus *de natiuitate domini* incipit: *Puer qui natus eſt nobis. yſa IX. In themate premiſſo quinque ſunt notanda, videlicet Quis Puer. Vbi natus* &c. Inter Sanctos recentiores ſunt *Georgius*, *Vitus* et *Udalricus.* Ordo temporum non obſervatur, et quidam etiam Sermones morales, puta, *de Confeſſione*, *de Nuptiis* &c. immixti ſunt. Omnia levis momenti.

IV. *fol.* 170. manu Sec. XV. *De ſancto chriſtofero.* Hymnus ex Actis fabulofis concinnatus, cujus Initium:

Egregie martir domini.
do laudes tuo nomini
quod contulit tibi deus.
tu vocabaris reprobus,
nunc diceris chriſtoforus
progenie Cananeus &c.

Et tamen Autor ad *Ambroſium* provocat ſcribens: *Ob hoc te glorioſius laudat ſcribens Ambroſius prodigia que feciſti.* Subjunctae ſunt Preces ad eundem Sanctum eodem rhythmi genere conceptae:

Chriſtofore mi domine
pro tuo ſancto nomine
te deprecor confidenter,
ut chriſti nomen colere &c.

DCCLXI.

171 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 52. f. per 2. Columnas currente calamo ſcriptus complectitur Incerti *Sermones* XLIV. quorum omnium Thema eſt illud: *Conuertimini ad me in toto Corde veſtro. Joel.* 2. Primus porro ſic procedit: *Scribitur thobie 3°. c°. Conuertimini peccatores et facite iuſtitiam coram deo* &c. Ultimus finitur: *Conuertimini ſcilicet Precium veſtrum contemplando Medicinam affectando Sanguinem chriſti meditando.* His verbis a latere adjicitur: *Nota in duobus ſermonibus* voraginis *eodem die illud quod eſt ad propoſitum.* Ex quo liquet *Sermones* noſtros poſteriores eſſe Sermoni-